

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
APOSTOLO PAULO,

---

*Quam,*  
PRÆSIDE  
CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,

S. Theol. D. & Prof. Primario, Acad. Tub. Cancellario,  
Ecclesiæ Præposito, Abbate Laureacensi

---

ad d. XXIII. Dec. A. MDCCL.

DEFENDET

M. GOTTLIEB CHRISTOPHORVS PAVLVS,  
Marggröningensis,  
S. Theol. Stud. in Ill. Stip.



TUBINGÆ,  
Typis CHRISTIANI GODOFREDI COTTÆ.

*a. LXXXVIII. 38.*

Coll. diss. A  
88, 38

DSSERTATIO THEOLOGICA

ALBOSTOLO PAULO

CHRISTOPH. MATTHEO



THEOLOG. FACULT. CANCELLAR.

M. GOTTLIEB CARSTENSON PAVENS

THE CHRISTIAN GODKIND GOTT

•••••



## §. I.

**P***Aulus*, idem & *Saulus* (a), Judæus ex tribu Benjamin (b), Tarsensis Cilix (c), civis Romanus (d) tabernaculorum conficiendorum artifex (e) Gamalielis (f) discipulus (g), sectâ Pharisæus (h), in traditionibus patriis probè eruditus (i) rituum Judaicorum tenacissimus (k) Christianis primùm infensissimus fuit. Mortem enim Stephani Proto-Martyris cum voluptate spectavit, lapidantium vestes servans (l), & Christianos, potestate à Synedrio Judaico impetratâ, horrendum in modum persecutus est, in vincula & carceres conjecit, in Synagogis flagellare jussit, & blasphemare coëgit, non saltem in Judæâ sed & extra illam (m).

(a) Non existimo, *Sauli* nomen in nomen *Pauli* fuisse mutatum, ita, ut illud quidem in circumcissione, hoc in baptismo vel post *Sergii Pauli* conversionem Act. XIII. 7. 12. in hujus memoriam vel immediatè à Deo acceperit, quemadmodum *Petrus*, Job. I. 43. vel dederit sibi ipsi, ut minimo Apostolorum I. Cor. XV. 9. Vide MOLLERI homonymoscopiam p. 759. 760.

SPANHEMII *diff.* de conversionis Paulinæ epochâ §. 30. *sqq.* & WITSII *Melet.* Leid. p. 47. *sqq.* Jam enim & post illam conversionem adhuc *Paulus* audit *Act.* XIII. 9. etsi postea hoc nomen ipse, Gentium Apostolus non ferret amplius. Vide STEPH. DE BRAIS *notas* in ep. ad Rom. p. 219. 220. & ALTINGIUM in Rom. l. 1. *Opp.* T. III. f. 3. *Tertii* quoque *gessisse* nomen, sunt, qui ex Rom. XVI. 22. malè conjiciant. Probabiliùs dixeris, hunc fuisse *Pauli amanuensis*. Vide ROLOFFII *diff.* de tribus Pauli nominibus, & HEUMANNI ep. de scribis epistolarum Pauli p. 5. Quod restat, non existimârim quoque, Paulum fuisse *Samuelem illum parvum*, qui notam orationem contra *דַּיְמוֹ* sive hæreticos composuit, licet ita visum fuerit ALTINGIO in Schilo L. IV. C. 26. 27. 28. itemque ZELTNERO & RELANDO. Vide WOLFFII *Bibl. Hebr.* P. I. p. 1120. 1121. & BASNAGII *hist. des Juifs* L. III. Ch. 1. §. 12. 13.

(b) *Phil.* III. 5. *Pf.* LXVIII. 28. Hic enim Paulus videtur dici *Benjamin parvus*, de quo vide ALTING. in Schilo L. V. c. 20. & adh. l. VITRINGAM *sacr. obs.* L. III. c. 3. *Συγγενὴς* suos recenset ipse Rom. XVI. 7. 11. 21.

(c) *Act.* XXI. 39. XXII. 3. Haud infeliciter conjiciunt viri docti, Paulum in academiâ Tarsensi, quæ tunc florebat præ Atheniensi & Alexandrinâ, referente STRABONÈ L. XIV. f. 771. ed. Bas. philosophiam & bonas literas didicisse, unde in epistolis suis & prædicationibus tubinde Poetas Græcos Aratum, Menandrum & Epimenidem citavit *Act.* XVII. 28. 1. *Cor.* XV. 33. *Tit.* I. 12.

(d) *Act.* XVI. 37. XXII. 25. &c. Sed quid? Si Tarsus ne unquam quidem colonia Romana fuit, si Judæi nunquam in civitatem vel militiam Romanam recepti, unde jus civitatis Romanæ acquirere potuissent? Patet, numis hoc acquisitum pro ratione istius temporis, etiam peregrino, Parenti forsan Pauli Vide DILHERRI *disp. acad.* T. I. p. 235. *sqq.* EZ. SPANHEMII *Orbem Romanum exerc.* I. c. 17. CELLARII *diff.* de Romanâ civitate S. Pauli, WITSIUM l. c. p. 4. *sqq.* & DEYLINGII *Obs. sacr.* P. III. n. 40.

(e) *Act.* XVIII. 3. Confer SCHURZFLEISCHII *diff.* de Paulo

σκηνοποιῶ. Etenim doctores Judæorum veteres opifices quoque subinde fuerunt, uti jam observavimus in originibus ecclesiasticis p. 82. edit. sec. Adde WITSII Melet. Leid. p. 12.

(f) Act. V. 34. XXII. 3. Non arbitror, illum unquam fuisse Christianum, quod post Pseudo-CLEMENTEM Recogn. L. I. c. 65. statuit ALTINGIUS in Schilo L. IV. c. 25. 27. Falsæ sunt ipsius reliquæ, quæ Pisani monstrant. Vide WAGENSEILII Sotam p. 992. 993. Nec putârim quoque, eundem fuisse principem illum Synedrii Judaici, qui celebratur. Vide OTHONIS historiam Doctorum Misnicorum p. 107. sqq. & WOLFI! Bibl. Hebr. P. II. p. 821. 822. Rectè quippe observat BASNAGIUS dans l'hist. des Juifs L. III. c. 1. §. 14. quòd Act. V. 34. saltem laudetur ut *τις ἐν τῷ συνεδρίῳ νομοδιδάσκαλος*. Nec hunc Gamalie em deinceps in principem Synedrii evasisse ex Act. XXII. 3. liquet.

(g) Postquam itaque Tarsi studia humaniora imbibisset, abiit in Academiam Hierosolymitanam, ut sacra ediceret, docente tum Gamaliele, Theologiæ Professore, cujus ante reliquos fama fuit maxima. Act. V. 34.

(b) Act. XXIII. 6. XXVI. 5. Phil. III. 5.

(i) Act. XXII. 3. Gal. I. 14.

(k) Act. XXII. 3. Phil. III. 6.

(l) Act. VII. 58. XXII. 20.

(m) Act. VIII. 1. sqq. XXII. 4. 19. XXVI. 10. sqq.

§. 2.

Hoc fine cum Damascum iret, convertitur per miraculum. Luce enim de cœlo percussus in viâ videt Christum auditque ita alloquentem se: *Saul, Saul, quid me persequeris? quæritque mox, quid velit Dominus, ut faciat?* Respondet hic, Damascum abeat saltem, hîc enim ipsi dictum hoc iri. (a) Paret jussui Saulus, cæcus ex summo lucis fulgore, qui oculos perstrinxerat (b). Monetur in visione Ananias discipulus, ut quærat Paulum in plateâ, rectæ quæ nomen habuit, eidemque,

A 2

im-

impositis manibus, restituat visum, esse enim hunc vas electum, qui Jesum prædicaturus esset gentibus & Regibus & filiis Israël, qui tamen & multa passurus eapropter esset. Ananias, qui & Saulo in visione ostensus fuit, exequitur mandatum. Restituitur ipsi visus, impletur Spiritu S. futurus Apostolus & baptizatur (c). Quo Christi anno hoc contigerit, non liquet (d). Sunt, qui putant, anno æræ vulgaris XXXIV. vel XXXV. TIBERII XXII. vel XXIII. Sunt, qui annum æræ vulgaris XXXVIII. vel XXXIX. vel XL. CALIGULÆ III. vel IV. ponunt (e).

- (a) Vide Act. IX. 1. sqq. XXII. 4. sqq. XXVI. 9. sqq. è quibus tribus locis plena facti historia patet. Parva quædam ἐναντιοφάνεια apparet inter Act. IX. 7. ubi dicitur, comites Pauli, vocem audivisse & Act. XXII. 9. ubi videtur id negari. Credo, prius de voce Pauli, posterius de voce Christi intelligendum. Ita BEZA. Alii aliter. Vide WITSII Melet. Leid. p. 26. 27.
- (b) Inductæ oculis fuere per miraculum pelliculæ, quæ visum abstulere. Confer SEIDELII & BAJERI dissertationes de cæcitate Pauli.
- (c) Ordinatio hæc Pauli in Apostolum miraculosa fuit, facta ab Ananiâ discipulo & Prophetâ, non Episcopo vel Presbytero.
- (d) Solus Paulus ex Apostolis est, qui baptizatus legitur in sacris. Apud reliquos baptismus fluminis supplevit baptismum fluminis.
- (e) Vide PEARSONII annales Paulinos & vel maximè SPANHEMII diff. de conversionis Paulinæ epochâ Opp. T. II. f. 311. sqq.

§. 3.

Ordinatus in Apostolum Paulus mox in Synagogis Damascenis Christum prædicavit (a). Ivit deinceps in Arabiam (b), & reversus Damascum (c), cum Judæi ipsi

ipsi insidias struerent & Ethnarcha Regis Aretæ illum capere vellet, à discipulis sportâ dimissus per urbis mœnia evasit (d), abiitque post triennium (e) Hierosolymas, ubi Petro, Jacobo minori, Barnabæ totique Ecclesiæ & Judæis quoque Hellenistis innotuit, qui, cum ipsum ferre nollent, divinitus in ecstasi monitus, ut Hierosolymis abiret, missus fuit à fratribus Cæsaream Philippi & Tarsum (f) unde Barnabas ipsum Antiochiam Syriæ duxit (g). Antiochiâ denuò petiit Hierosolymas cum Barnabâ & Joanne Marco, Antiochenæ Ecclesiæ eleemosynas eò deferens (h). Reversus Antiochiam denuòque ordinatus (i) à Prophetis & doctoribus ad munus Apostolicum, abiit Seleuciam, Cyprum, Salamina, Paphum, ubi Elymam Magum cæcitate percussit, atque ita Sergium Paulum Proconsulem convertit, Pergam Pamphylæ, & Antiochiam Pisidiæ, ubi Judæis & gentilibus Evangelium prædicavit. Sed hinc pulsi Paulus & Barnabas (k) venerunt Iconium (l) & hinc quoque expulsi in urbes alias Lycaoniæ, Lystram & Derben (m). Et Lystræ quidem claudum sanavit Paulus (n). Sed lapidibus impetitus, cum vires resumpsisset, cum Barnabâ denuò Derben perrexit, reversusque per Lystram, Iconium & Antiochiam Pisidiæ Presbyteros Ecclesiis præposuit & sic Pisidiam, Pamphyliam, Pergam, Attaliam transiens rediit Antiochiam Syriæ (o).

(a) Act. IX. 20.

(b) Philadelphiam, conterminam Damascenæ, itidem sub Aretæ dominatu.

(c) Gal. I. 17. sqq.

(d) Act. IX. 23. sqq. 2. Cor. XI. 32. 33.

(e) Triennium hoc non incipiendum est à fugâ Pauli è Damasco sed vel ab ipsius conversione vel abitu in Arabiam, ut puto.

(f) Act. IX. 26. sqq. Gal. I. 18. 19. Adde Act. XXII. 17. sqq. 2. Cor. XII. 2. 3. 4. ubi ecstasis ista refertur, de quâ deinceps.

(g) Act. XI. 25. Gal. I. 21.

(h) Act. XI. 29. 30. XII. 25.

(i) Atqui vero juxta Pontificios ordinatio repeti nequit, quia imprimit characterem indelebilem.

(k) Act. XIII. 4. sqq.

(l) Act. XIII. 51.

(m) Act. XIV. 6. Conferri hîc potest BOERNERI diff. de Pauli & Barnabæ in Lycaoniâ rebus gestis.

(n) Act. XIV. 8. sqq.

(o) Act. XIV. 19. sqq.

§. 4.

Lite heic ortâ de necessitate circumcissionis, Paulus cum jam per XIV. annos Evangelio dedisset nomen (a), & Barnabas missi fuere Hierosolymas (b) ad Apostolos hanc in rem consulendos, qui & cum congregatâ Ecclesiâ sententiam suam dixissent, literas ad Ecclesiam Antiochenam dedere (c), quas eò portavit Paulus cum aliis, qui deinceps Ecclesias, queis Evangelium prædicaverat, visitatum ivit cum Silâ, in Syriâ & Ciliciâ (d), Derbæ quoque & Lystræ, ubi Timotheum circumcudit (e). Cum verò Phrygiam & Galatiam peragrarent, prohibuit Spiritus, quò minùs abirent in Asiam (f), & cum Mysiam transfirent, similiter in Bythyniam abire haud permissum ipsis erat divinitùs (g). Abiit deinceps Paulus cum Silâ & Timotheo Troada, Samothracen, Neapolin, Philippos (h), ubi purpurariam Lydiam (i) convertit, & Pythonissam à dæmone liberavit, sed & cæsus virgis inque carcerem conjectus fuit, postea converso custode, dimissus (k). Inde per  
Am-



Amphipolin & Apolloniam, urbes Illyrici (l) Theſſalonicam, urbem Macedoniae venit, ubi Jaſonem multosque alios convertit, ſed malè habitus dimiſſus eſt à fratribus Berrhoeam, quâ relicta abiit Athenas, unde Timotheum ad Theſſalonicenſes miſit (m), ubi & in Areopago Evangelium prædicavit & Dionyſium Areopagitam convertit (n), & Corinthum, ubi convertit Aquilam & Priſcillam, Crispum & Gajum, quos & cum familiâ Stephanæ baptizavit (o) itemque Soſthenem (p), alioſque benè multos, per tempus enim, credo, biennii ibi commoratus eſt, Judæis coram Gallione Proconſule ipſum in vanum accuſantibus (q). Scripſit & hîc duas ad Theſſalonicenſes epiſtolas (r).

(a) Gal. II. 1.

(b) Quartum hoc iter eſt, quod Paulus Hieroſolymas fecit.

(c) Act. XV.

(d) Act. XV. 41.

(e) Act. XVI. 1. ſqq.

(f) ſtriſtiſſimè ſic dictam, ubi Ephesus. Aliàs ad Aſiam mino- rem ſpectat quoque Phrygia & Galatia. Vide CELLARII noti- tiam orbis antiqui P. II. p. 7. & adde Act. XIX. 1. 10.

(g) Act. XVI. 6. 7. Nolim, hæc opponas univerſalitati vocationi Evangelicæ. Tum enim ſaltem temporis ipſis hoc haud per- miſſum erat. Quis negârit, Evangelium & Ephesi & in Bithyniâ fuiſſe prædicatum?

(h) Confer hîc WALCHII diſſ. de actis Pauli Philippenſibus.

(i) Num hoc nomen proprium vel gentilitium ſit, parum refert. Vide de hâc quæſtione diſceptantes BIELIUM & ALTMAN- NUM in Bibl. Brem. Cl. 2. p. 409. ſqq. Cl. 5. p. 670. ſqq. Cl. 6. p. 1041. ſqq.

(k) Act. XVI.

(l) Rom. XV. 19. De Illyria Græca hoc accipe.

(m) 1. Theſſ. III. 1. ſqq.

(n) Act. XVII.

(o)

- (o) Aët. XVIII. 1. Cor. I. 14. 16. Aët, qui dicere potuit Paulus, se non missum esse ad baptizandum comm. 17. Id quod contra Matth. XXVIII. 19. militare videtur. Scilicet præcipua ipsius functio erat prædicatio verbi. Baptismi administrationem *συνεργός* commisit. Vide diss. nostram ad locum Matthæi citatum p. 10.
- (p) Aët. XVIII. 17. 1. Cor. I. 1.
- (q) Aët XVIII. 11. sqq.
- (r) Hæ enim epistolæ à Paulo, Sylvano & Timotheo scriptæ sunt 1. Thess. I. 1. 2. Thess. I. 1. qui ad Paulum redierant Corinthi commorantem Aët. XVIII. 5.

## §. 5.

Corintho in Syriam soluturus ex portu Cenchreenfi (a) navigavit Ephesum, abiitque deinceps Cæsaream, Antiochiam, ubi pactum cum Collegis, Jacobo, Petro & Johanne iniit, quo convenere, ut illi quidem Judæis, Paulus gentilibus (b) Evangelium prædicarent, ubi & reprehendit Petrum (c) itemque in Galatiam, Phrygiam & Achajam, reversusque Ephesum discipulos non à Johanne, sed saltem in baptisma Johannis invalidè baptizatos in nomen Domini Jesu baptizari curavit, iisque, impositis manibus dona Spiritûs S. extraordinaria & miraculosa contulit (d), atque in scholâ Tyranni per biennium (e) Evangelium quotidie prædicavit (f). Cum constituiisset postea, per Macedoniam & Achajam abire Hierosolymas ad festum ibi celebrandum (g), in Asiâ paulisper commoratus est (h) atque tumultu à Demetrio ob cultum Dianæ excitato (i) motus abiit, Macedoniam petiturus (k). Scripsit & hoc tempore primam ad Corinthios, ad quos & ante jam scripserat (l), epistolam (m), forsan & illam ad Titum & Galatas (n).

(a)

- (a) Act. XVIII. 18. Errant, qui putant, de Paulo hîc dici, quòd ex voto, Naziræatûs nempe, caput totonderit Cenchreæ, cum de Aquilâ hoc dicatur, uti jam in diss. de abrogatione legis ceremon. p. 54. monuimus.
- (b) Gal. II. 9. Hoc non ita capiendum, ac si Paulo lingua ligata fuisset ad Evangelium Judæis quoque prædicandum. Sæpius etiam & postea verba sacra ad hos fecit. Præcipuè verò ad gentiles Rom. XI. 13. 1. Cor. IX. 2.
- (c) Gal. II. 11. sqq. Somniavit HARDUINUS, Cepham illum non Petrum Apostolum sed unum ex 70. discipulis fuisse. Riferere hoc somnium BOILEAU, DEYLINGIUS, alii. Vide origines nostras juris eccl. p. 33. 34. ed. sec. Repetiit tamen illud anonymus dans les memoires de Trevoux 1732. p. 1621. sqq.
- (d) Act. XVIII. 23. sqq. XIX. 1. sqq.
- (e) Imò per triennium Ephesi tùm prædicâsse Paulum constat ex Act. XX. 31.
- (f) Act. XIX. 9.
- (g) Act. XVIII. 21. XIX. 21. XX. 16.
- (h) Act. XIX. 21. 22.
- (i) De hoc tumultu peculiaris exstat diss. DEYLINGII obs. sacr. P. III. n. 39. Num hûc respiciat Paulus 1. Cor. XV. 32. ubi ait, se cum bestiis Ephesi pugnâsse, ferinis nempe hominibus Tit. I. 12. vel num bestiis objectus cum illis pugnârit, easque per miraculum compescuerit, quod tamen in actis Apostolorum non fertur, non liquet. Plurimæ hanc in rem dissertationes exstant, quas ad h. l. in curis notavit WOLFIUS. Conferri & potest WITSIUS in Melet. Leid. p. 123. sqq.
- (k) Act. XIX. 23. sqq. XX. 1.
- (l) 1. Cor. V. 9. forsan per Timotheum missam 1. Cor. IV. 17. Putant tamen Viri docti, quos ad h. l. citat WOLFIUS, epistolam hanc eandem esse cum primâ ad Corinthios.
- (m) Confer Act. XIX. 21. cum 1. Cor. XV. 5. 8.
- (n) Vide WITSII Melet. Leid. p. 135.

## §. 6.

Epheso relicta Troadem venit Paulus & deinceps in Macedoniam (a), ubi & adventu Titi recreatus fuit (b) & posteriorem ad Corinthios epistolam scripsit, forsitan & primam ad Timotheum (c) illamque ad Galatas. Ex Macedoniâ in Græciam sive Achajam profectus tres ibi menses exegit (d), intra quos Corinthum venit & epistolam ad Romanos scripsit. Abiit deinceps per Macedoniam in Asiam & Philippis solvens rediit Troadem (e), ubi Eutychem resuscitavit (f). Hinc Assum, urbem Mysiæ, & Mitylenem, civitatem litoralem Lesbi, Samum, Trogyllium, Miletum perrexit, ubi Presbyteros Ephesios ad se vocavit, ipsisque valedixit (g). Postea per Coum, Rhodum, Pataram, Cypro ad sinistram relicta, navigavit in Syriam & vel tandem Tyri appulit. Inde per Ptolemaida & Cæsaream Palæstinæ, ubi Philip-pum Evangelistam visitavit, & Agabus captivitatem Pauli Hierosolymitanam prænuñciavit, pervenit Hierosolymas (h). Quintum hoc iter Pauli Hierosolymitanum est.

(a) Act. XX. 2. 2. Cor. II. 12. 13.

(b) 2. Cor. VII. 6.

(c) Vide WITSII Melet. Leid. p. 138. sqq.

(d) Act. XX. 2. 3.

(e) Act. XX. 3. sqq.

(f) Act. XX. 7. sqq.

(g) Act. XX. 15. sqq.

(h) Act. XXI. 1. sqq.

## §. 7.

Hierosolymis cùm advenisset, adiit Jacobum minorem & Presbyteros, ex quorum monito, ne videretur defectionem à ritibus Mosaicis docere, cum viris Græcis voto Naziræatûs temporarii factò templum cùm intrâisset, Judæi Asiatici tumultuati sunt, malè ferentes, quòd incircumcisos in templum introduxisset. Exegere itaque templo Paulum, illum quoque trucidaturi, nisi superveniente tribuno Romano, Claudio Lysia è manibus illorum ereptus & in castra captivus ductus fuisset (a). Hic cùm apologiam ad populum dicere cœpisset, clamores verò Judæorum verba interromperent, tribunus flagris illum examinaturus erat, sed, cùm audivisset, esse illum civem Romanum, ab illis destitit & solutum vinculis altero die coram Synedrio (b) stitit, ubi vix cœpto sermone, jussu maxime Ananiæ, Pontificis in os cæsus fuit, &, cùm videret, se nil verbis proficere posse, tandem Pharisæum se professus est, & propter prædicatam resurrectionem judicari jam. Lite hinc magnâ inter Sadducæos & Pharisæos, qui Pauli partes sumserunt, ortâ, Chiliarcha, ne discerperetur ille à furiosis, reduxit ipsum in castra (c), ubi Dominus ipsum jussit bono animo esse, jam enim & Romæ illum oportere de se testari. Cùm verò Judæi insidias Paulo struerent, Lysias illum ad Felicem, Judææ Procuratorem Cæsaream misit, qui ipsum in prætorio Herodis detineri jussit & cum Drusilla uxore de religione differentem audivit (d). Mox Verò advolavit Ananias cum oratore Tertullo, qui ipsum accusarunt, Paulo apologiam reponente. Post biennium (e) successit Felici (f) Portius Festus, coram quo de-

nuo Paulus contra Judæos accusantes apologiam edidit, atque etiam coram Herode Agrippâ, & ad Cæsarem appellavit (g). Quo facto captivus cum Romam mitteretur, naufragium fecit apud insulam Meliten (h). Hic miraculis quibusdam patratis conscensâ navi venit Syracusas, deinde Regium & Puteolos. Perrexit deinceps, relicta navi, Romam, unde obviam venire Paulo Christiani nonnulli ad Appii forum, alii ad tres tabernas. Romæ cum advenisset, traditur à Centurione præfecto prætorii, qui permisit, ut seorsim habitaret, ita tamen, ut semper alligatus esset militi. Vocatis ad se Judæis innocentiam suam illis demonstravit & Christum quoque per biennium liberè prædicavit (i), scripsitque in vinculis epistolas ad Philippenses (k) Coloffenses (l), Philemonem (m). Vinculis solutus cum adhuc in Italiâ degeret, scripsit ad Ebræos (n), si quidem ejus epistolæ autor est. Postea Cretam navigavit, ibique Titum reliquit (o). Cretâ petiit Ephesum, ubi Timotheum reliquit (p) & Coloffas, ubi apud Philemonem divertit (q). Dein in Macedoniam abiit & Philippenses salutavit (r). Philippis priorem ad Timotheum scripsit (s). Hyemem deinceps transegit Nicopoli (t) ubi Titum ad se vocavit epistola ad ipsum scriptâ (u). Abiit postea Troadem, ubi apud Carpum divertit (x), atque Ephesum rediit (y) & Miletum, ubi Trophimum ægrotum reliquit (z) itemque Corinthum, ubi reliquit Erastum (aa). Tandem rediit Romam, denuoque in vincula conjectus (bb) epistolam ad Ephesios (cc) quibusdam scripsisse fertur, certè posteriorem ad Timotheum (dd) scripsit, capite sub Nerone plectendus (ee). Incidit Paulinum martyrium in A. C. LXVIII. ut conjiciunt viri docti.

(a) Act. XXI. 17. sqq.

(b) Act. XXII. 30. XXIII. 1. sqq.

(c)

- (c) Act. XXIII. 10. 11.  
 (d) Vide SALDENI diff. de Felice & Drusillâ in Otiis p. 766. sqq.  
 (e) quod Paulus in vinculis exegit. Vide ZORNII hist. fisci Judaici p. 513. sqq.  
 (f) Habentur hæc omnia Act. XXIV.  
 (g) Act. XXV. XXVI.  
 (h) Iter hoc maritimum Pauli prolixè describitur Act. XXVII. Menses illius curatè computavit JAC. HASÆUS in Bibl. Brem. Cl. 1. fasc. 1. n. 2. p. 17. sqq. Num Sicula verò illa Maltha sit, vel Dalmatica, disputant interpretes. Prius pec diff. probare voluit J. F. WANDALINUS, postèrius IGNATIUS GIORGI, Monachus Benedictinus.  
 (i) Vide Act. XXVIII. 30.  
 (k) Phil. I. 13. 14. IV. 22. Alia mens OEDERO in Cent. Conject. p. 323. sqq. ubi, ut conficeret, Phil. IV. 3. innui uxorem Pauli, probare conatus est, hanc epistolam ante priorem ad Corinthios, quam viduus exarârît, à Paulo scriptam fuisse.  
 (l) Col. I. 24. IV. 10. 18.  
 (m) Philem. 1. 10. 23. 24.  
 (n) Ebr. X. 34. XIII. 23. 24.  
 (o) Tit. I. 5.  
 (p) 1. Tim. I. 3.  
 (q) Philem. 22.  
 (r) Phil. I. 25. 26. 27. II. 24.  
 (s) 1. Tim. I. 3. III. 14. 15. IV. 13.  
 (t) Tit. III. 12.  
 (u) Tit. III. 12.  
 (x) 2. Tim. IV. 13.  
 (y) 1. Tim. III. 14. IV. 13. Cur itaque dicit Act. XX. 25. Ephesios faciem suam non visuros amplius. Atqui verò hoc non dicit de Presbyteris Ephesiis in genere, sed ait saltem, *omnes* illos, qui tùm præsentés erant, faciem suam non amplius visuros.  
 (z) 2. Tim. IV. 20.  
 (aa) 2. Tim. IV. 20.  
 (bb) ob Evangelium denuò Romæ prædicatum 2. Tim. I. 8. 12. II. 9. 10. Negat posteriora Pauli Romana vincula WESSELIUS

in orat. de laudibus Pauli Ap. quem refutavit GUDIUS pec. diff. libello de Ecclesiæ Ephesinæ statu subjectâ.

(cc) Sunt, qui hanc ad priora, sunt, qui ad posteriora vincula referunt. 2. Tim. IV. 12. In vinculis certè scripta est Eph. III. 1. IV. 1. VI. 20. OEDERUS putat, non scriptam in vinculis Romanis, sed aliis, in synt. obs. sacr. n. 41. p. 650. sqq. Confer GUDIUM l. c. p. 161. sqq.

(dd) 2. Tim. I. 8. 12. 16. 17. IV. 6. sqq.

(ee) Cur itaque scripsit, se ex ore leonis fuisse ereptum 2. Tim. IV. 17. maxime, cum Nero tùm Româ abesset? Ad prius reponi potest, Paulum tantisper vinculis posterioribus solutum, mox tamen in illa denuò coniectum fuisse, vel potius, fuisse projiciendum leoni, sed liberatum ab hoc supplicio, quæ sententia est ill. MOSHEMII in diss. de Paulo ex ore leonis liberato. Ad posterius, vel Neronem tùm rediisse jam ex Græciâ, vel Helium Cæsareanum, cui rerum summam demandârat Nero in Græciam abiturus, denuò coniecisse illum in vincula, & ad supplicium capitis damnâsse. Vide GUDIUM l. c. p. 219. sqq. Sub Nerone vero passum esse, ajunt veteres, quos mox laudabimus.

§ 8.

Non existimo, Paulum post vincula vel priora vel posteriora abiisse in Galliam (a), Hispaniam (b), etsi hoc habuerit in animo (c), & Angliam (d), nec fuisse conjugatum unquam (e) vel exstare ejus quædam præter ea, quæ in sacro canone exstant (f), vel corpus ipsius asservari Romæ (g). Non liquet, num is ipse sit, qui raptus fuit in cœlum tertium, vel alius (h). De palo Pauli in carne, h. e. angelo satanæ, spectro diabolico ipsum colaphizante, (i) non habeo, quæ addam. Quod restat, Paulum Apostolum ante aliquot annos gratis aggressus est Deista MORGANUS (k). Qui plura de Paulo nôsse voluerit, adeat autores infra dados (l).

(a) Ita conjicit PETRUS de MARCA, Archiep. Paris. in ep. ad HENR. VALESIUM de tempore, quo primum in Galliis suscepta

suscepta



suscepta est Christi fides, §. 4. ubi: *Quid vetat, quin Lucas & Crescenti, assiduis Pauli comitibus adjungamus & ipsum Paulum Apostolum, qui testibus Græcis Athanasio, Epiphanio, Chrysostomo, ac Theodoro, & à Latinis Hieronymo post primum adventum suum in urbem, ubi biennium exegit à Lucâ memoratum, (quo temporis intervallo forte in Galliâ prædicationem Evangelii auspicatus est), Hispanias adiit, ad promulgandam illis in regionibus Christi fidem. Atqui Hispanias petenti pergendum fuit per celeberrimam apud veteres viam illam publicam, quæ ab Italiâ per Gallias in Beticam ipsam ducit. At quid? si Hispaniam navi petierit Paulus pauperculus, vel iter ipsius Hispanicum sit falsum? Certè alias traditiones de his & illis, qui Evangelium Galliæ intulerint, referunt Ecclesiæ Gallicanæ scriptores. Vide FABRICII lucem Evangelii p. 386. seqq.*

(b) Refert CLEMENS Rom. in 1. Cor. §. 5. Paulum pervenisse ἐπὶ τὸ τέλος τῆς δύσεως, ad finem Occidentis, quâ voce Romam indigitari communiter putant. At quærit PEARSONIUS de successione primorum Romæ Episcoporum diss. 1. C. 8. §. 9. p. 61. *Quis unquam dixit, Romam fuisse terminos aut fines occidentis?* Atqui verò, ait Clemens, Paulum tum martyrium subiisse ἐπὶ τῶν ἡγεμένων, sub ducibus, Hispanicis arbitror, non sub Nerone, negatque adeò, illum Romæ passum. Sic traditio traditioni contradicit. Quod restat, ante sec. IV non datur scriptor, qui in terminis ferat, Paulum re verâ in Hispaniam abiisse. Vide SPERII historiam criticam de Hispanico Pauli itinere, quod quidem ex sequioribus autoribus adstruit NATALIS ALEXANDER diss. XV. ad hist. eccl. sec. 1. cum aliis. Vide FABRICII lucem Evang. p. 374. seqq.

(c) Rom. XV. 24. 28. Jam verò vinculis impeditus exequi haud potuit, quod in animo habuerat.

(d) Ita USSERIUS in Britann. Eccl. antiqu. C. I. ubi ad 2. Tim. IV. 17. verba, & *audiant omnes gentes* provocat, itemque Theodoretum, Venantium Fortunatum, Sophronium. Ita STILLINGFLEETUS antiqu. Brit. C. 1. quem verò refutatum ixit SCHELESTRATIUS in diss. de autoritate Patriarchali & metropolitica p. 5. seqq. Ita CAVIUS in vitâ Pauli, ita alii ex Anglis, quibus adde & MASONUM in vindiciis Eccl. Angl. f. 68.

f. 68. Sed nec de prædicatione Pauli apud Britannos quicquam referunt antiquiores.

(e) Certè de uxore Pauli nîl exstat in actis Apostolicis uti nec in epistolis Pauli, etsi frequens erat occasio illius memorandæ. I. Cor. VII. 7. 8. Quin potius ita de se scribit Paulus: *Vellem, ut omnes homines essent, sicut ego. Sed unusquisque habet suum charisma à Deo, hic ita, ille ita. Dico verò non uxoratis & viduabus, bonum ipsis est, si maneant, ut ego.* Saltem itaque eo tempore uxorem non habuit, cælebs quoque antea, vel, ut alii, viduus nunc. Postea verò illum ad nuptias provolasse vix conciliari potest cum verbis, quæ modò recensui. Sunt quidem, qui existiment, ex Phil. IV. 3. id liquere, ubi uxori, quam *σύζυγον γνήσιον* appellet, commendet Evodian & Syntychen. Ita profectò ex antiquis Clemens Alex. Origenes, Eusebius. Jam verò sententiam hanc tanquàm stultam Theodoretus ad h. l. proscribit, & *συνεργός* vel amicus Pauli sine dubio fuit *σύζυγος* ille. Vide HEUMANNI & ZORNII diss. ad h. l. Non assentior itaque GRABIO, KOCHIO, RUSIO, OEDE-RO, qui Clementem Al. hîc sequuntur, & ex quibus postremus eapropter statuit, epistolam ad Philippenses ante illam ad Corinthios scriptam esse, cùm enim hanc scriberet Paulus, *σύζυγον* illam & uxorem Pauli fuisse fati functam, ita ut I. Cor. VII. 7. 8. de se locutus fuerit, ut viduo, nuptiasque saltem secundas reprobet. Nec existimârim quoque, hoc ipso loco Paulum de se loqui, ut continentiam in matrimonio servante & à cohabitatione saltem conjugali abstrahente, quod statuere illi necessum habent, qui uxoratum tùm fuisse Paulum existimant, id quod ex I. Cor. IX. 5. probare conantur, ubi dicat Paulus, se eandem potestatem cum cæteris Apostolis habere, uxorem suam secum in itineribus suis *circumducendi*, adeoque supponat, se uxorem habere. Ita OSIANDER in examine cælibatûs Clericorum p. 46. ubi: *Loquitur Paulus comparatè ad cæteros Apostolos, uxores ductas circumducentes. Opponit itaque sese illis, non in carentiâ uxoris ductæ, sed in abstinentiâ circumductionis, atque hoc velle videtur: Num non etiam nos potestatem habemus, uxorem, quam domi reliquimus, circumducendi, atque ab Ecclesiis pro illâ alimenta deposcendi, quemadmodum reliqui? At, quid, si Paulus per ἀδελφὴν sororem suam germanam intellexerit*

tellexerit Act. XXIII. 16. vel fœminam denotet, sororem spiritua-  
 lem, quæ in itinere ipsi inservire, vel bonis suis ipsi succurrere pos-  
 sit, quemadmodum de Christo legimus, quòd mulieres ipsum  
 fuerint comitatae Matth. XXVII. 55. Luc. VIII. 2. 3. Sic verò  
 caderet argumentum, quod ex h. l. pro Apostolorum conjugiiis  
 depromitur. Sed, si de ejusmodi fœminis sermo sit, Apostolis &  
 Paulo ministrantibus saltem, cur ad vocem ἀδελφὴν, quæ sufficere  
 poterat, additur γυναῖκα? Γυνή sanè uxorem hîc dicit. Respon-  
 dent, γυναῖκα non præcisè quidem uxorem, sed & fœminam in  
 genere denotare, uti Ebraicum נשׂא, innui fœminam, quæ  
 Christiana, quæ ἀδελφὴ sit, ita & vel decies in actis Apost. oc-  
 currere ἀνδρες ἀδελφοί. At verò non dicitur hîc γυναῖκα ἀδελφὴν,  
 sed ἀδελφὴν γυναῖκα, scandalumque daturi gentibus fuissent  
 Apostoli, si fœminas solutas secum circumduxissent. Nota  
 sunt conciliorum decreta contra mulieres συνεισάκτες, de quibus  
 vide KOCHIUM de conjugio Pauli p. 13. sqq. & GUTTHERI  
 historiam ἀγαπητῶν. Quid autem, si per γυναῖκα non virgo vel fœmi-  
 na junior, sed provectoris ætatis, in quam non cadit suspicio, &  
 quam, uti cæteri Apostoli, sumtibus Ecclesiarum, monente ex contextu  
 Tertulliano, Paulus secum ducere poterat, intelligatur, determine-  
 turque per hoc additamentum, qualis hæc ἀδελφὴ esse debeat. Si  
 uxorem dicere voluisset Paulus, ἀδελφὴν non dixisset. Ita, qui putant,  
 conjugium Apostolorum ex h. l. non liquere. Quod restat, conjugium  
 Pauli & ex veteribus, Pontificiis, nostratibus, Reformatis fuere, qui  
 statuerunt, ex nostris maximè LUTHERUS, LOBECHIUS, OSI-  
 ANDER, BEBELIUS, alii, partim supra memorati. Consuli de hoc  
 argumento possunt post alios CALIXTUS de conj. Cleric. p. 117.  
 sqq. MARCKIUS exerc. juven. 22. & J. A. SCHMIDIUS in  
 diff. de Apostolis uxoratis sub finem.

(f) Spectant hûc Pauli Evangelium, acta, ep. ad Laodic. &  
 Senecam, altera ad Philipp. Apocal. & visiones aliaque, quæ  
 in cod. Apocrypho N. T. FABRICIUS recen uit.

(g) Supra notavimus, Clementem Romanum asserere, quòd Pau-  
 lus non Romæ, sed ἐπὶ τὸ γέγραμ τῆ δύσεως passus fuerit. Sed  
 ajunt veteres alii, sub Nerone passum Romæ, Tertullianus de  
 præscript. C. 36. alibique, Eusebius hist. eccl. L. II. C. 25.  
 L. III. C. 1. Lycius Cecilius, quem Lactantium vulgò ferunt,  
 de mortibus persecutorum §. 2. posteriores alii communiter.

C

Greg.

Greg. Nyss. Paulum fert crucifixum, serm. 8. de beatitudinibus. Alii ferunt capite plexum, civem utpote Romanum. Constat, referre Tacitum annal. L. XV. persecutionem Neronianam contra Christianos, *pereuntibus*, ita ille, *addita ludibria, ut ferarum tergis connecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Eandem persecutionem refert quoque in Nerone Suetonius. Verisimile est, in ista passum & Paulum, qui ob conversos aulicos Phil. I. 13. IV. 22. eò majus odium in se concitârat, adeoque fabulosa esse ista, quæ de sepulchro Pauli in viâ Ostiensi referuntur, licet hoc ferat Cajus apud Eusebium hist. eccl. L. II. C. 25. & de reliquiis ipsius, de quibus TILLEMONTIUS dans les memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique des six premiers siècles T. I. P. 2. in Paulo art. 50. Quis cederet, cadavera eorum, qui in suppliciis tempore Neronis ob Christianismum periere, relicta Christianis, ejusdem odii reis, ut ab his inhumarentur. Vide DALLÆUM de religiosi cultûs objecto p. 640. sqq. SAGITTARIUM de Martyrum natalitiis p. 32. sqq. & cruciatibus p. 337. sqq. itemque BASNAGII histoire de l'Eglise f. 1028. 1029. 1118. 1119. Jam & Petrum Hierosolymis crucifixum fuisse tradidit Hieronymus ad Matth. XXIII. 33. & ex illo Lyranus. Aliâs numerus pluralis inveniri non potest, cum non nisi Simeon, Cleophæ filius, legatur Hierosolymis crucifixus. Hoc verò si est, cur corpus Petri quæris Romæ?

- (b) Constat, Rev. OEDERUM de rapto Pauli, non Apostoli, sed alterius Viri dissertationem edidisse, quam aggressus maximè est BOSIUS, vindicante sub præsidio GESNERIANO Gœttingæ Parentem filio. Adde ejusdem animæ conversiones sacras statim sub initium.
- (i) De hoc palo variæ eruditorum celebrantur sententiæ, dissertationes variæ, quas laudant WOLFIUS ad 2. Cor. XII. 7. & GUDIUS in Biblioth. de selectis hist. eccl. capit. p. 47. 48.
- (k) Quem refutavit C. E. à WINDHEIM pec. diss. Halæ A. 1745. sub præsidio BAUMGARTENIANO defensa.
- (l) PEARSONIUM, CAVIUM, TILLEMONTIUM, WITSIUM, PRITIUM, LANGIUM, HOTTINGERUM, queis & adjiciendi sunt, quos præter hos laudavere FABRICIUS in Bibl. Gr. L. IV. p. 151. sqq. & in cod. apocr. N T. p. 793. sqq. LANGIUS in Comm. de vitâ & epistolis Ap. Pauli, WOLFIUS in præf. ad ep. ad Rom. & vel maximè GUDIUS l. c. p. 38. sqq. Quod restat, hoc saltem monemus adhuc, valde esse difficile, annales Paulinos condere vel epocham epistolarum ab ipso scriptarum date. Non scripsit eas omnes manu propriâ, sed monogrammate saltem insignivit, ut constaret, esse genuinas illas 2. Thess. II. 2. Vide 2. Thess. III. 17. De hoc monogrammate pec. diss. A. 1721. edit. ZELTNERUS.

Coll. diss. A. 88. Mus. 38